

342.37
So42r


O.J
INTER FOLIA FRVCTVS

Zu der

öffentlichen Prüfung der Schüler

des

Kurfürstlichen Gymnasiums

zu

MARBURG

im Jahre 1854

welche

am 3. 4. und 5. April stattfinden wird

ladet ergebenst ein

der

Gymnasialdirector

Dr. FRIEDRICH MÜNSCHER.

Inhalt: I. Abhandlung des Gymnasiallehrers Dr. A. Soldan: De reipublicae Romanae legatis provincialibus et de legationibus liberis quaestiones.

II. Schulnachrichten.

Marburg.

Elwert'sche Universitäts-Buchdruckerei.

1854.

De

reipublicae Romanae legatis provincialibus

et de

legationibus liberis

quaestiones.

Quo tempore a me postulabatur, ut opusculum aliquod, quo invitaretur ad celebranda huius ludi litterarii solemnia, conficiendum susciperem, eodem ego mihi proposui, aliud quod, in quo explicando versarer, maius atque amplius, quam hoc qualecunque est argumentum deligere. Sed cum paulo post assiduis occupationibus temporisque angustiis id, quod animo intenderem, perficiendi facultatem mihi ereptam esse intellexissem; desistere a suscepto consilio et ad hanc rem pertractandam accedere statui. Quam quidem rem, in qua elaborarem, eo magis dignam iudicavi, quo plus eidem non minus senatus populusque romanus, quam viri in re publica principes tribuendum esse putabant. Nam legati, de quibus hic quaeritur, provinciales, proconsulum et propraetorum administri, ex iis, qui magni erant bello nec minores pace, plerumque delecti non dubium est, quin non modo ad exteras terras bello expugnandas et in provinciae formam redigendas, sed etiam ad easdem consilio ac prudentia gubernandas imperiique fines proferendos valuerint plurimum. Quorum cum magna exstent in rem romanam merita, mira laude exornanda, mirabile potest videri, quid sit, quod nemo inventus sit, qui operae pretium esse putaverit, quae illi munera obierint, quas res gesserint, quas omnino partes egerint, eas penitus cognoscere cognitasque scriptis illustrare. Nec tamen defuerunt satis multi homines docti, qui unam alteramque illarum rerum particulam leviter attingerent, sed solus C. Sigonius mihi quidem videtur nominandus esse is, qui quam sibi partem explicandam sumserit, eamdem certe aliis veterum scriptorum interpretibus, ut solet, acutius multo subtiliusque tractaverit. Atqui idem ille, ut hic singulos eius errores omittam, non universam rem ordine quodam atque orationis perpetuitate narravit, neque ita ad veritatem revocavit,

ut singulas illius partes dissolutas divulsasque arte aliqua extrinsecus quidem petita conglutinaret et ratione quadam constringeret. Quae autem ab aliis multis, qui in antiquas res investigandas incumbunt, disputata sunt, ea magno sunt argumento, totam illam causam neque ab iisdem ponderatam suis esse momentis, neque satis diligenter cognitam eius naturam parumque acute perspectam. Quo factum est, ut non solum saepe offensum ab illis titubatumque atque a recta via declinatum sit, verum etiam partim vera, partim mixta eoque similia veris allata magnique inde errores creati sint. Qui tamen errores ab aliis in alios translati ne altas radices agerent, sed ut agnoscerentur ac depellerentur facilius, nihil melius ac satius esse duxi, quam eorum, qui putarentur rerum antiquarum peritissimi, sententias cum colligere et inter sese comparare, tum etiam vera a falsis diiudicare et, quid ipse sentirem, separatim diligenterque exponere. Singulis autem illis de rebus quanta sit opinionum dissensio, quam sint mira illorum hominum inventa quamque arcessita dicta passim dissipata ac late diffusa, ut penitus perspiciatur, hisce quaestionibus conabor efficere.

A. De reipublicae legatis provincialibus quaeritur.

I.

Legatos deligendi et nominandi potestatem quis habuerit?

Hoc quidem potest pro explorato haberi, senatui sicut provincias iis, qui in easdem cum imperio mitterentur, decernendi, ita legatos auctoritate sua eligendi ac nominandi potestatem esse concessam. Quod quin iure ita factum fuerit, nemo facile dubitabit, qui quaecunque provincias tuendi consilia initia essent et rationes, eas oportuisse ad senatus voluntatem atque auctoritatem referri meminerit. Et senatum illam potestatem vere habuisse, perspici eo loco potest, qui est in Ciceronis oratione pro Sestio habita c. 14, 33: *„Ne isti quidem, quos legatos non modo nullo senatusconsulto, sed etiam repugnante senatu tute tibi legasti?*

Cic. in orat. pro Ligario hab. c. 7: *„Sed tamen Ligarium senatus idem legaverat“*. In Vatin. c. 15: *„Volo de te audire, quo tandem senatusconsulto legatus sis?* Ibid. *Quis legatos unquam audivit sine senatus consulto? ante te nemo: post continuo fecit idem in duobus prodigiis reipublicae Clodius“*. — Nec tamen pauci fuerunt, qui falsa opinione ducti, totum secus fuisse dicerent, ut *P. Manutius* in commentar. ad Ciceronis epistt. ad Famil. dat. Tom. I, pag. 70, a, ubi haec leguntur: „Delectos autem (legatos) et nominatos ab iis, quibus imperium provinciae mandabatur, indicant exempla“. Quorum nonnulla afferuntur, ut lib. II, epist. 18. ad Att. dat.; lib. IV, epist. 15. et c. 17 orationis de provincc. cons. habitae. Eorum tamen exemplorum non idoneum esse testimonium infra videbimus. Neque vero multum a Manutio discrepat *Bachius*, qui (in Histor. iurisprud. Rom. ed. Stockmann. Lips. 1807, lib. II, c. 1, § 37) ita docet: „Praeterea (Proconss et Propraett.) legatos sibi adsciscere poterant, quibus in bello aliisque rebus administrandis uterentur“. — Atque eadem fere est ratio *Waltheri*, qui (in Histor. iurisprud. rom. part. I, pag. 145.) haec tradit: „nil a senatu, nisi legatorum numerum esse decretum, Consulibus autem datam potestatem, qui sub ipsorum imperio legionibus praeessent, eos arbitratu suo deligendi“. Cuius tamen opinionis testes afferri non possunt ii loci, qui ab illo laudantur. — Neque magis videtur probanda esse *Hotomanni* sententia, qua is in Commentar. ad Cic. orat. de imper. Pomp. c. 19, §. 57 opinatur, ibidem legationem eius generis intelligi, quae non a senatu tantum, sed a populo etiam missa fuerit omnium maxime honorifica. — At legatos iis, qui cum imperio essent, dandi iustam potestatem habuisse senatum, non populum, illo loco l. cognoscitur, ubi Cicero indignum esse dicit: *„detrectatum fuisse, ne legaretur Gabinius Cn. Pompeio expetenti et postulanti“*, et eodem cap. addit: *„se sperare de eo legando ad senatum consules relaturos.* Populus autem Gabinium legasset libentissime, si ei per senatum eius legi maxime infensum licuisset. Cf. Plut. Pomp. c. 25; Vellei. II, 32; Garat. ad orat. de imper. Pompei. c. 19, §. 57 et ad Verrin. I, c. 22.

Sed de tota huius rei ratione ut dicam, quid sentiam, haec mihi videor posse pro certo statuere: legatos aut a senatu datos esse, aut huius auctoritate ab iis, qui in provincias cum imperio abirent, esse adscitos, eodem vero illo refragante deligi non potuisse. Haec autem ne videantur vel cum iis locis, qui a me allati sunt, vel cum iis, qui passim reperiuntur in scriptoribus, pugnare, neve cum iis, quae similitudinem

quandam speciemque veri gerunt, confundantur: haec servanda est, id quod in explorandis rebus romanis gravissimum est, variorum temporum ratio. — Etenim et priore reipublicae tempore, et eo, quod continuo Sullae dictaturam subsequebatur, senatus, cum auctoritate valeret plurimum, hoc sibi reservabat, ut qui legarentur, solus decerneret Sed quia patet eorum, quibus datae erant provinciae, multum interfuisse, ut eos, qui voluntate secum consentirent, vel quorum opera uti se optime posse sperarent, legatos secum adducerent: senatus ita illis gratificatus est, ut, si nihil videretur respublica inde detrimenti capere, quos peterent, concederet At vero idem ordo, etiamsi non recusaret, quin, si e republica esse duceret, vel si res ferret, ad casus novos novorum consiliorum rationes accommodaret, tamen in suscepta ratione tuenda institutisque maiorum retinendis ita sibi constabat, ut aliorum conatibus, quibus vel suae ipsius vel legum auctoritati periculum videretur posse afferri, fortiter occurreret atque obsisteret. Quod ita factum esse videmus, cum difficili rei publicae tempore praepotentes magistratus, ut Vatinius, quem paulo post secuti sunt Gabinius, Piso, Clodius, legare alios ad arbitrium vellent.

Quae ego hic explanavi, ea apparet hisce orationis in Vatinium verbis, quae inveniuntur in c. 15, plane confirmari: „*Ne hoc quidem senatui relinquebas, quod nemo unquam ademit, ut legati ex eius ordinis auctoritate legarentur? adeone tibi sordidum consilium publicum visum est? adeo afflictus senatus — ut non — ministros muneris provincialis — senatus more maiorum deligere posset?* Facile igitur intellectu est, quid existimandum sit de C. Sigonii sententia, quae est in eius lib. II, c. 2. de Jur. provv. pag. 275, ed. Francof. 1593. fol., ubi haec leguntur: „Nam quod dixi, praesidem pro arbitrio aliquando sibi legasse, id ostendit Cicero in libro de praetura, cum (in Verr. lib. I, c. 16, §. 44.) inquit: „*Verres, posteaquam Cilicia Dolabellae provincia est constituta, quibus allegationibus illam sibi legationem expugnavit?*“ — Ac senatus in legatis decernendis etiam tum ius suum obtinebat, cum singuli ex magistratibus, quales erant Caesar et Pompeius, tantam consecuti erant potentiam, ut omnes solerent ad eorum nutum se voluntatemque convertere. Neque tamen refellitur illa sententia, sed comprobatur illis locis, quibus reperitur Caesar iis, quos vellet, legationes, quas iidem vellent quantoque cum honore vellent, detulisse, ut est in orat. de Provv. consul. 17, 41: „*Me in tribus sibi coniunctissimis consularibus esse voluit:*

mihi legationem, quam vellem, quanto cum honore vellem, detulit". Eodemque capite Cicero, posteaquam exposuit, quanta constantia illa, quae Caesar sibi esset pollicitus, ornamenta repudiasset, quamque esset sibi idem Caesar iratus, quod ipsum secum ne beneficiis quidem videret posse coniungi, pergit in hunc modum dicere: „*Postea me, ut sibi essem legatus, non solum suasit, verum etiam rogavit*". Et lib. II, epist. ad Att. 18: „*A Caesare valde liberaliter invitor, sibi ut sim legatus*". IV, 15: „*Messius defendebatur a nobis, e legatione revocatus. Nam eum Caesari legarat Appius*". Ibid. IV, 1, ubi hoc de Pompeio curationi frumentariae praeposito scriptum legitur: „*Postridie senatus frequens et omnes consulares nihil Pompeio postulanti negarunt. Ille legatos quindecim quum postularet, me principem nominavit et ad omnia me alterum se fore dixit*". Praeterea in lib. XII, epist. 55 ad Thermum propraetorem Cicero scripsit: *se legationem detulisse Anneio, quum multis petentibus denegasset*

Hisce locis non recte colligi patet, totam illam legatos sine senatusconsulto vel sine auctoritate sibi deligendi causam praesidum in provincias proficiscentium arbitrio esse relictam. Nam intelligendum est, neque Caesarem nec Pompeium, nec Appium neque Ciceronem in legatis deligendis vel legum vel senatus auctoritatem voluisse negligere. Quod quidem eo minus tempus vel necessitas flagitabat, cum, si de iis, quos adsciscere legatos vellent, retulissent ad senatum, aut illos petissent ab eo, se facile impetraturos esse possent confidere. Nec enim illi viri ignorabant, non debere se, quantumcunque vel armis, vel opibus possent, committere, ut, quod non minus esset more institutoque receptum, quam legibus sancitum, id contemnerent vel potius, re non cogente, celeriter tollerent ac delerent. Illi enim ipsi nisi senatum eum esse intellexissent, qui cum ad consuetudinem institutaque maiorum, tum ad firmam quandam stabilemque rei gerendae rationem omnia consilia atque facta dirigeret, profecto faciendum non putassent, ut de legando Vatinio aliisque cum eodem senatu ageretur acerrime. Verumtamen etiamsi pauci fuissent, qui, quod, labante republica, voluntate sua regerent omnia, in legando neque ullius senatusconsulti neque auctoritatis rationem haberent, tamen inde non licet suspicari, si quis a more aliquo institutoque discessisset, legem aut non servandam, aut nullam fuisse.

II.
Legatorum numerus quantus (et qualis) fuerit?

Quamquam illud dubium esse non posse vidimus, quin senatus, qui legati darentur praesidibus, decreverit, tamen quantus fuerit eorum variis temporibus numerus, inter eos homines doctos, qui hac de re quid sentirent, dixerunt, non satis convenit. Ex quibus quidem universam rem generatim magis ac breviter attigit et significavit, quam aperte diligenterque explanavit *C. Sigonius* in eo libro, qui est de Antiq. iur. Provv. lib. II, c. 2, pag. 275, ubi scriptum est: „Numerus legatorum, qui minimus, trium, ut opinor, fuit". Sic enim scripsit Livius: „*Decernunt frequentes, ut C. Sulpicius praetor tres ex senatu nominet legatos*". Quin etiam Q. Cicero praetor tres tantum in Asiam secum legatos duxit. Habitam tamen esse rationem praetorii gradus et consularis et provinciae et belli et ipsius denique hominis arbitror a senatu. Siquidem Bruto, et Cassio legatorum numerum auctum scribit Cicero et ipse in Cilicia proconsul secum legatos quatuor habuit". — P. autem *Manutius* (in Comment. in epistt. ad Fam. I. pag. 69, b.) nil aliud docuit, nisi Caesari decem in Gallia Legiones, totidemque legatos datos esse, quorum numerus decerni solitus esset a senatu, totam vero huius rei rationem ne breviter quidem perstrinxit. — Et *Nieupoortius* in eo libro, qui est de ritibus Romanorr. Berol. 1767, in vestigiis insistit *C. Sigonii*, cum pag. 134. dicit: „Numerus eorum (legatorum) minimum erat ternarius, qui pro dignitate praesidis et magnitudine provinciae saepe augebatur". — Ad haec verba quae addidit *Schwarzius* (in observatt. ad *Nieupoortii* lib. pag 189.), iis nihil profici perspicuum est, cum id leviter tantum significetur, quod supra l. l. copiosius explicavit Manutius. Neque magis probantur, quae *F. A. Wolfius,* qui non discrepat a *Reizio* (cf. eius scholae de antiqq. rom. habitae ed. Lips. 1796. pag. 612.) in scholis de antiqq. rom. ab illo habitis et a *Guertlero* editis 1835. pag. 258, hunc fere in modum tradidit: „Legati solebant in singulis legionibus non singuli, sed plures esse, praetoribus, qui erant cum imperio, bini dari, consulibus quaterni". At datos esse binos, novum hoc est et inauditum, neque ullo ullius veteris scriptoris testimonio communitum.

Ex his autem omnibus, quos modo dixi, proxime ad rei veritatem accessisse C. Sigonium, facile est ad intelligendum. Satis vero illud apertum est,

quantum reliqui a recta via deflexerint, quantumque quae disputata sunt ab iis, ipsa inter se repugnent et quam sint magna ex parte futilia.

Sed ne hac in re confundantur omnia, nihil aliud relinquitur, nisi ut quaeratur, quot fuerint legati propraetorum, quot proconsulum? Illis autem (propraetoribus) non binos, sed ternos, ut Q. Ciceroni in Asia (Cic. epist. ad Q. frat. I, 1, 3), C. Considio in Africa, legatos dari solitos esse plane constat, neque facile quidquam est hac de re vetere instituto mutatum. Quod mirum non debet videri. Nam cum propraetores in pacatiores provincias mitterentur, in quibus non ita turbulenta ac periculorum plena negotia sustinerent, neque magna bella administrarent: hoc certe licet intelligi, quare illis non plus ternis, quorum opera et consilio uterentur, legatis opus fuerit; qui numerus ut certus quidam ac legitimus esset, usu et more comparatum esse cognoscitur. Sed senatus tamen in eorum, qui dabantur proconsulibus, legatorum numero decernendo aliam plane rationem secutus est. Ex qua cum idem ille minus esset ulla lege adstrictus, quam tempori inserviret, neque solum consularis dignitatis gradum provinciaeque magnitudinem, verum etiam periculosum aliquod, quod ibidem immineret, bellum, et proconsulis ipsius potentiam et opes respiceret: nemo non plane videbit, quare maior ille quidem fuerit legatorum consularium numerus, sed neque certus, neque semper idem esse potuerit. Nam tametsi vetus consuetudo ferebat, ut quaterni proconsulibus legati decernerentur, tamen, cum multis magnisque bellis premerentur Romani, non raro accidisse accepimus, ut senatus illis non maius modo atque amplius imperium committeret, sed multo etiam plures legiones legatosque deferret. Quamobrem illud nihil habet admirationis, quod republica ad exitium inclinante, in magna temporum calamitate, Pompeius et Caesar, armis opibusque praepotentes, quidquid postulabant, et a senatu et a viris consularibus impetraverint et plures iis, quam antea cuiquam, legati decreti sint. Ita Pompeio, rei frumentariae praefecto quindecim legatos datos esse, scriptum legitur in Ciceronis epist. ad Att. data lib. IV, ep. 1: „*Postridie senatus frequens et omnes consulares nihil Pompeio postulanti negarunt. Ille legatos quindecim cum postularet, me principem nominavit, et ad omnia me alterum se fore dixit*“. Idem Pompeius bello piratico, quod per totum mare internum erat dispersum, vel viginti quinque legatis usus est. Cf. Appian. Mithrid. pag. 392. ed. Tollius. Et Caesari in Gallia decem dati sunt. Cf. ep. ad. Fam. I, 7: „*Itaque perpaucis adversantibus,*

omnia — per senatum consecuti sunt. Nam et stipendium Caesari decretum est et decem legati". In orat. de provincc. cons. c. 11: „*Actum est de decem legatis, quos alii omnino non dabant, alii exempla quaerebant, alii tempus differebant, alii sine ullis verborum ornamentis dabant. In ea quoque re sic sum locutus, ut omnes intelligerent, me id, quod reipublicae causa sentirem, facere uberius propter ipsius Caesaris dignitatem*". — Quae cum ita sint, dubitari nequit, quin propraetoribus non facile amplius *terni*, proconsulibus minimum *quaterni* et, si temporum ratio postularet, multo plures delati fuerint legati. Quorum numerus quantus esset, senatus reperitur solus plane decrevisse, qui eam haberet potestatem, ut, quidquid ad provincias gubernandas tuendasque opus esset, suo ipsius iudicio ac voluntate praescriberet.

III.
Legatorum quot et quae genera fuerint?

Posteaquam paulo uberius explicatum est, qui ordo legatos decernendi ius potestatemque habuerit, qui et quantus eorum fuerit numerus: hoc loco non alienum videtur, quae et quot eorumdem genera fuerint, exponere. Haec autem duo omnino genera fuisse, hisce potissimum locis, in quibus totius rei rationem in esse video, plane significari apertum est. Cf. Varro de L. Lat. lib. V, c. 16. pag. 90 (ed. Spengel.), ubi haec verba leguntur: „*Legati qui lecti publice, quorum opera consilioque uteretur peregre magistratus, quive nuntii senatus et populi essent*". Et Cicero in orat. in Vatin. c. 15: „*Adeo afflictus senatus — ut non nuntios pacis ac belli, non curatores, non interpretes, non bellici consilii auctores, non ministros muneris provincialis — more maiorum deligere posset*". Ex utriusque loci natura *C. Sigonius* (de Antiq. Jur. Provincc. lib. II, c. 2, pag. 275.) recte collegit, duplex genus legatorum indicari; unum eorum, qui decem aut quinque a senatu et ex senatu senatus voluntatem ad alios deferrent, quique a senatu et ex senatu ad ordinandam provinciam, parta ab imperatore victoria, ita mitterentur, ut ex eorum sententia de hostibus et horum regione, id est, qualis esset gentis alicuius aut terrae fortuna et conditio, statueretur; alterum eorum, qui essent praesidibus ita additi, ut eos in omni rerum et civilium et bellicarum munere adiuvarent, totosque se ad illorum arbitrium accommodarent.

Sed tamen in priore illo genere explicando ea omisit *C. Sigonius*, quae omittenda non fuerunt. Nam moris fuit, ut imperatoribus ad bellum aliquod proficiscentibus primo legati, quos vellent, necessarii plerumque a senatu darentur; postea vero, quum prospere quid gestum esset, et pacem hostes peterent, vel constituenda esset provincia, decem insuper legati (alterum tantum) decernerentur. Quod quidem videtur eo loco firmari, qui est in Ciceronis epistola ad Attic. data lib. 13, ep. 6: „*Et filium, qui non potuerat esse legatus, fuisse putaram. Mummium fuisse ad Corinthum* (in decem legatis), *pro certo habeo*". — Ibidem: „*Sed non dubito, quin fratri fuerit legatus, non in decem. Atque hoc etiam accepi, non solitos maiores nostros in decem, qui essent imperatorum necessarii*". Et ibidem paucis interpositis: „*Illum fratri in primis eius legatis fuisse*".

Fuit igitur Spur. Mummius in primis fratris legatis, in decem non fuit. Ex quo manifesto apparet, in more maiorum id positum non fuisse, ut legati darentur imperatorum *necessarii*, sed in eorumdem more institutoque positum fuisse, ut decem omnino legati, qui non essent necessarii, decernerentur. Ita est apud Livium lib. 33, c. 24: „*Decem legati more maiorum, quorum ex consilio T. Quinctius imperator leges pacis Philippo daret, decreti*". Et c. 31 et 44; lib. 37, 55. Ibid. lib. 33, c. 31: „*Omnibus Graeciae civitatibus hanc pacem approbantibus soli Aetoli id decretum decem legatorum clam mussantes carpebant*". Parvo intervallo: „*Dubitabatur de Corintho et de Chalcide et de Demetriade, quia in senatusconsulto, quo missi decem legati ab urbe erant, ceterae Graeciae atque Asiae haud dubie liberabantur. De his tribus urbibus legati, quod tempora reipublicae postulassent, id e republica fideque sua facere statuere iussi erant*". Ibid. „*Ab Elatia — cum decem legatis inde Corinthum traiecit. Ibi consilia decem legatorum tractabantur*". C. 44: „*Omnes curae post adventum utique decem legatorum in Antiochum regem conversae*". Lib. 37, c. 55: „*Auditae deinde et aliae legationes ex Asia sunt. Quibus omnibus datum est responsum, decem legatos more maiorum senatum missurum ad res Asiae disceptandas componendasque. Decem legatos hos decreverunt*". Cic. orat. in Verr. lib. II, c. 13: „*Ut de eo praetor iudices ex P. Rupilii decreto, quod is de decem legatorum sententia statuit, — sortiatur*".

His decem legatis, qui ad alias civitates mittebantur interpretes et administri negotiorum, publice mandabatur, ut populi alicuius vel regionis res cognoscerent et de cognitis ad senatum referrent, ut disceptaretur, quae pacis conditiones

darentur; quae civitas in provinciae formam redigeretur, quibus legibus uteretur, quae stipendiaria, quae vectigalis esset, quae libera, quae immunis. De summa rerum, legatis auctoribus, senatus constituebat.

Verumtamen hi ipsi legati quantum ab iis, qui comites in omni munere provinciali subsidio erant praesidibus, differant, vix attinet hic commemorare. Sed qui ex altero illo genere erant legati, quas in provinciis regendis partes sustinuerint, antequam quaeramus, hoc loco non incommodum arbitror, *unde* et *quales* fuerint delecti et quam cum iis, qui provinciis praeerant, rationem habuerint ac necessitudinem, diligentius explicare.

Quoniam praecipuas in gubernandis provinciis imperioque obtinendis partes agebant legati, perspici facile potest, qui factum sit, ut senatus eos legaret, qui et in iure dicendo et in administrandis rebus cum bellicis, tum civilibus magnum ei usum, prudentiam, operam, fidem probaverant. Quocirca hoc praecipue more receptum esse video, ut ii asciscerentur, qui magna ex parte non singulari modo generis nobilitate, ordinis splendore, dignitatis gradu essent praeclari, sed etiam magno rei publicae gerendae usu et consilio praestantes, ad quos constat vel virtutis, vel ingenii, vel literarum delatas esse primas. Quare mirum videri non debet, eiusmodi homines aut nominatos a senatu, aut eius auctoritate a praesidibus esse delectos, qui vel summis in republica honoribus usi essent, ut viri consulares, praetorii, senatorii, vel singulari patriae amore insignes, vel eximia rerum gestarum gloria essent ornati. De multis autem eorum, qui huc possunt referri, satis sit hosce paucos nominasse. Ita P. Scipio Africanus L. Scipioni fratri in Graecia et Asia, C. Laelius illi P. Scipioni in Africa, C. Marius Q. Metello in Numidia, M. Varro Cn. Pompeio in Hispania, Q. Ligarius Considio in Africa, L. Ael. Tubero, A. Allienus, Gratidius Q. Ciceroni in Asia, Q. Cicero M. Ciceroni in Cilicia, T. Labienus et C. Curio, ille Caesari in Gallia, hic in Africa dati erant legati. Et vix opus videtur dicere, M. Ciceronem et T. Pomponium Atticum, illum a C. Caesare, hunc a Q. Cicerone ad legationes suscipiendas frustra esse invitatos. Sed ut perspiciamus, illi viri quantum vel magna erga suos pietate, vel patriae caritate ducti potuerint, quantaque fuerit, salva iam ac florente, nondum misera et afflicta republica, eorum in senatu auctoritas, placet hosce veterum scriptorum locos afferri. Cf. Liv. lib 37, c. 1: „*Ambo* (L. Scipio et C. Laelius consules) *Graeciam cupiebant. Multum C. Laelius in*

senatu poterat. Is quum senatus aut sortiri aut comparare inter se provincias consules iussisset; elegantius facturos dixit, si iudicio patrum, quam si sorti eam rem permisissent. — Quum res — relata exspectatione certaminis senatum erexisset, P. Scipio Africanus dixit, si L. Scipioni fratri suo provinciam Graeciam decrevissent, se legatum iturum. Haec vox magno assensu audita sustulit certamen". — Cum hoc loco conferatur ille, qui est in Ciceronis oratione Philipp. XI, c. 7, 17: „*Bello Antiochi magno et gravi, cum L. Scipioni — obvenisset Asia, parumque in eo putaretur esse animi, parum roboris, senatusque ad collegam eius, C. Laelium, — negotium deferret: surrexit Africanus, illam ignominiam a familia deprecatus est dixitque et in fratre suo summam virtutem esse, summumque consilium, neque se ei* (Lucio fratri) *legatum, id aetatis iisque rebus gestis, defuturum. Quod cum ab eo esset dictum, nihil est de Scipionis provincia commutatum*". De C. Laelio sapiente Scipionis Africani legato conf. Cicero de Republ. lib. II, c. 40; Appian. Punicc. c. 126, pag. 483: „'Αυτὸς (Σκιπίων) — *ἠπείγετο διὰ τῆς λίμνης, καὶ Γάϊον Λαίλιον κατὰ γῆν περιέπεμπεν*". Consularis fuit Man. Aquillius, qui commemoratur in orat. de imperio Pompeii, ubi c. 5 ita: „*Vos eum regem inultum esse patiemini, qui legatum populi Rom. consularem — necavit?* Item P. Sulpitius et P. Villius viri consulares legati in Macedonia fuerunt. Cf. Liv. 32, c. 28. Atque egregia laus tribuitur L. Tuberoni in epist. dat. ad Q. fratrem lib. I, 1, 3: „*Quamquam legatos habes eos, qui ipsi per se habituri sint rationem dignitatis suae; de quibus honore et dignitate et aetate praestat Tubero; quem ego arbitror, praesertim cum scribat historiam, multos ex suis annalibus posse deligere, quos velit et possit imitari*". De Tuberone praeterea conferatur Ciceronis orat. pro Ligario habita c. 4, 10, ubi is dicitur *homo cum ingenio, tum etiam doctrina excellens.* Ibid. c. 7, 21. De Q. autem Ligario legato conferatur Scholiasta Gronovianus ad Ligarianam pag. 414. De M. Varrone, Pompeii legato cf. C. Caesar de B. Civ. I, c. 38; II, 17, 18, 20. In eius autem nomine celebrando copiosus est multis in locis Cicero, in primis in Brut. c. 56, 205; Phil. II, 40, 103; 41, 105; Acad. I, 2, 8; I, 3, 9. — Labienus quemadmodum legati partes egerit, qualis eius fuerit rei militaris usus et scientia, satis cognitum est ex Caesaris libris, qui sunt de B. Gallico. Cf. potissimum lib. I, c. 21; VIII, 52.

Legati autem cuiuscunque generis erant, sive provinciales, sive ii, qui

senatus populique Rom. voluntatem deferebant ad alios, cum secum afferrent faciem senatus, auctoritatem reipublicae, quam honorificum nomen, quantamque dignitatem habuerint, ex eo apparet, quod eorum causa multa bella suscepta, multae urbes deletae sunt. De quo ita in orat. de imper. Pomp. c. 5: „*Legati quod erant appellati superbius, Corinthum patres vestri, totius Graeciae lumen, exstinctum esse voluerunt*". — Ac bella quidem a Romanis ob legatos solita esse aliis civitatibus indici atque inferri, cognosci potest ex Actione in Verrem secunda lib. I, c. 31: „*Video et ex iis, quae legi et audivi, intelligo: in qua civitate non modo legatus populi Romani circumsessus, non modo igni, ferro, manu, copiis oppugnatus, sed aliqua ex parte violatus sit, nisi publice satisfactum sit, ei civitati bellum indici atque inferri solere*". (Cf. ad hunc loc. Asconius Ped. et Manutius). Ibid. c. 33: „*Etenim nomen legati eiusmodi esse debet, quod non modo inter sociorum iura, sed etiam inter hostium tela incolume versetur*". Orat. de Harusp. respons. c. 16: „*Sic enim sentio, ius legatorum cum hominum praesidio munitum sit, tum etiam divino iure esse vallatum*". Cf. Pompon. lib. 17. D. de legationibus. Quae cum ita sint, non est, cur miremur, sicut tribunorum plebis, ita legatorum corpora sacrosancta fuisse. Cf. orat. in Pison. c. 35; pro Coel. c. 21. — Nec vero dubitandum est, quin tantam illam dignitatem omnes, quicunque essent, legati habuerint, sive nuntii ad exteras nationes mitterentur, sive libere peregrinarentur, sive iis, qui summo cum imperio essent, adiungerentur Sed si nihilominus et Cicero et Atticus non dubitarunt delatas sibi legationes repudiare, facile est ad intelligendum, quare iidem aliis, atque iis, quae ab ipsis afferuntur, causis fuerint adducti, ut, quod erat delatum, non acciperent. Cf. Cic. l. l. et Corn. Nep. in Attic. c. 6.

IV.

In publicis muneribus obeundis quam cum praesidibus et quaestoribus rationem ac necessitudinem habuerint?

Legati cum magnum in provinciis gubernandis locum tenuerint, permultum interest quaerere, quae fuerit iis cum praesidibus mutua officii ratio atque coniunctio? Quoniam illi magnam ab iisdem potestatem accipiebant, et muneris erant provincialis ministri, non sua voluntate ac libere, sed ad eorum arbitrium ac

praescriptum egisse omnia reperiuntur. Quod illo loco confirmatur, quo Caesar in lib. II, c. 17, de B. Civil. haec Varronis verba affert: „*Praeoccupatum sese* (Varronem) *legatione ab Cn. Pompeio, teneri obstrictum fide: necessitudinem sibi nihilo minorem cum Caesare intercedere: neque se ignorare, quod esset officium legati, qui fiduciariam operam obtineret*". Ibidem III, c. 51: „*Cuius* (Sullae legati) *consilium reprehendendum non videtur: aliae enim sunt legati partes, aliae imperatoris; alter omnia agere ad praescriptum; alter libere ad summam rerum consulere debet. Sulla a Caesare castris relictus, liberatis suis, hoc fuit contentus, neque proelio decertare voluit, — ne imperatorias sibi partes sumsisse videretur*". — Ex quo loco hoc efficitur, imperatoris (sive praesidis) esse, de summa rerum iudicare et consilium suum cum aliis communicare; legati autem, illius arbitrio voluntatique ita obtemperare, ut, quae ab eo mandata sint, accipiat et conficiat; neque longius progrediatur, quam praescriptum sit. Quin etiam senatus legatos cum populi Romani maiestatem in provinciis tueri, tum praecipue eorum, qui maius haberent imperium, existimationi consulere dignitatique inservire volebat. (cf. epist. ad Q. fratrem I, 1, 3). Quamobrem hoc praesidum arbitrio relictum esse video, ut legatis, qui omnia ad illorum consilium voluntatemque conferre deberent, quamdiu vellent, uterentur, eosdemque, si suae aut ipsorum (praesidum) dignitati deessent, possent dimittere. Eo patet pertinere illum locum, quo graviter vituperatur Verres, quod Abronichum, perditum hominem, missum non fecerit; qui locus est in lib. III Actionis in Verrem secundae c. 58, 134: „*Quaestores, legatos, praefectos suos, tribunos multi missos fecerunt et de provincia decedere iusserunt, quod eorum culpa se minus commode audire arbitrarentur, aut quod peccare illos aliqua in re iudicarent*". Et epist. 30, ad Fam. dat. lib. XII: „*eos* (legatos) *ex senatusconsulto, si non decedunt, cogendos, ut decedant, existimo*".

At legati tamen, ut in gerendis muneris sui partibus nihil poterant suo arbitratu facere, sed referre omnia ad praesidum iudicium debebant, ita videntur, re exigente, soluti ac liberi suo iure ita usi esse, ut, omissa omni religione societatis, vel sine piaculo, quod quidem quaestoribus facere non licebat, ab iis, qui praeessent provinciis, discederent. Quod apparet comprobari Act. in Verrem secunda lib. II, c. 20, 49: „*Sodales, viri fortes, legati tui, primo anno te reliquerunt: unus legatus, P. Tadius, qui erat reliquus, non ita multum*

tecum fuit; qui si semper una fuisset, tamen summa cura cum tuae, tum multo magis suae pepercisset". — Neque tantam habebant potestatem provinciarum rectores, ut iis liceret, si quae iusta de legatis querela deferretur, de ea cognoscere, vel in illos animadvertere, vel potius poena eos afficere. Hac de re in lib. I Accus. in Verrem secundae c. 19, 50 ita dicitur: „*De qua expugnatione* (fani Junonis Samiae) *quum legati ad C. Neronem in Asiam Samo venissent; responsum tulerunt, eiusmodi querimonias, quae ad* **legatum populi Romani** *pertinerent,* **non ad praetorem,** *sed* **Romam deferri** *oportere*". — Ex quo loco non iniuria suspicatur Garatonius (Notae ad Cic. oratt. Pars. I Havniae 1825.), legatos, id quod ex sententia totius capitis quarti colligi possit, repetundarum esse accusatos, ac negat ullam praetoris in eos animadversionem fuisse. Sed satis magno in errore idem ille versatur, cum a Nerone adimi lictores Verri potuisse non arbitratur, et ad probandam hanc opinionem illum locum, qui est in Cic. epistoll. ad Fam. XII, ep. 30, testem laudandum putat. Ibidem enim haec leguntur: „*De Venuleio, Latino, Horatio (legatis C. Calvisii, per quos Africam absens obtinebat, quibus Cornificius lictores ademerat) valde laudo. Illud non nimium probo, quod scribis, quo illi aequiore animo ferrent, te tuis etiam legatis lictores ademisse. Honore enim digni cum ignominia dignis non sunt comparandi: eosque ex senatusconsulto, si non decedunt, cogendos, ut decedant, existimo*". — At vero ex priore huius loci parte prorsus intelligitur, praetori licuisse lictores legatis adimere. Et Cicero etiam valde laudat Cornificium, quod illud fecerit, sed eam causam improbat, qua is adductus lictores istis ademerit.

Hanc autem totius rei summam esse iudico: legatos in gerendo munere provinciali, uti supra demonstratum est, omnia debuisse ex praetorum consilio voluntateque facere et, si quid vita et moribus ita offendissent, ut nefaria iis fraus crimini daretur, ab illis dimitti, iisque adimi lictores potuisse, ignominia, vel etiam poena affici ab iisdem non potuisse. Neque iniuria. Nam prudentissime erat legibus ita institutum, ut, qui generis et ordinis amplitudine nobilitati, publicae dignitatis auctores essent, quique praetoribus, quibuscum officii necessitudine erant coniuncti, opera et consilio adessent, iidem maximarum rerum controversias senatorum, qui privatarum offensionum rationem non ducerent, arbitrio atque iudicio disceptandas relinquerent. Quare omnino cautum erat, ne utrique neque praesides neque legati contentiones reipublicae periculosas susciperent.

Jam vero legati, cum tanta illa auctoritate florerent, tamen iure putantur non proximum a praesidibus locum tenuisse, sed honoris gradu inferiores fuisse quaestoribus, qui minores tantum in republica magistratus gesserant, neque antea fuerant tot tantisque, quantis legati, honorum insignibus ornati. Is autem in provinciis ordo servabatur, ut quaestor legato, legatus praefecto, praefectus tribuno militum honore praecederet. Quod videtur his verbis posse probari, quae sunt in l. sup. l. in Verrem lib. III, c. 58, 134: „*Quaestores, legatos, praefectos, tribunos suos multi missos fecerunt et de provincia decedere iusserunt, quod illorum culpa se minus commode audire arbitrarentur*". (Cf. ad hunc loc. Manut. in Comment. pag. 226, a). Ibidem lib. V, c. 32, 83: „*Quid primum — querar? Siculone homini legati, quaestoris, praetoris denique potestatem, honorem, auctoritatem dari? — Si te impediebat ista — occupatio, ubi quaestores? ubi legati? — ubi tot tantaque ornamenta magistratibus et legatis a senatu populoque Romano permissa et data?*" (Cf. ad hunc l. Zumptius). Ibidem c. 52: „*Tu, navis cum esset a quaestore et legato capta praedonum, archipiratam — removisti*". — Intelligi vix potest, quid sit, quod *Manutius* (in Comment. ad Cic. Oratt. pag. 281, b.) haec scribere potuerit: „Huius loci testimonio legatum potius, quam quaestorem, praeesse classi debuisse cognoscitur". At ne ullum quidem verbum ibi invenitur, quo illud, quod docet Manutius, leviter modo significetur. — Illum tamen ordinem, quo vel contumeliae loco duceretur, si legatus quaestori praeponeretur, quam diligenter tenuerint Romani, licet ex hoc loco iudicari, qui est in orat. pro Ligario c. 1, 2: „*Q. Ligarius, cum esset nulla belli suspicio, legatus in Africam cum C. Considio profectus est: qua in legatione et civibus et sociis ita se probavit, ut decedens Considius provincia satisfacere hominibus non posset, si quemquam alium provinciae praefecisset. Itaque Ligarius — provinciam accepit invitus*". — Cum igitur sine ignominia non soleret quaestori legatus anteferri, ac proinde videri posset Ligarius legatus ambitiose Africam provinciam impetrasse, quaestore reiecto, Cicero huic suspicioni prudenter occurrit, cum ait Ligarium integritate et innocentia ita sibi provincialium amorem conciliasse, ut decedens de provincia Considius satisfacere hominibus non posset, si quemquam alium provinciae praefecisset. — Praeterea Cicero Thermo, Asiae praetori, suadet, ut decedens C. Antonium quaestorem potius, quam legatum, provinciae praeficiat, quod cognoscitur ex epist. ad Fam. II, 18: „*Sed mihi magis magisque quotidie — placet illud meum*

consilium, quod — ostendi, graves te suscepturum inimicitias, si adolescens potens et nobilis (quaestor) *a te ignominia affectus esset. Et hercle est ignominia. Habes enim neminem honoris gradu superiorem. Ille autem, ut omittam nobilitatem, hoc ipso vicit viros optimos, hominesque innocentissimos, legatos tuos, quod et quaestor est, et quaestor tuus*".

Horum aliorumque locorum testimonio quamquam legatos a quaestoribus honoris gradu superatos esse comprobatur, tamen nemo ex iis, qui in pervestigandis populi Rom. rebus versantur, explicavit, quare legati, qui fuissent post gestos magistratus maiores rerum usu ac prudentia superiores, quaestoribus, qui essent minore aliquo magistratu functi, dignitatis gradu fuissent inferiores Cuius tamen rei non ita difficilis videtur explicatio. Notum est enim, quaestores delatam a senatu populoque ac longe a praetoria separatam, qua iis magis suo iudicio uti licebat, potestatem habuisse. Quin etiam non minus exploratum est, eosdem in agendis officii sui partibus sicut magistratus ordinarii, ita civitatis personam gerere eiusdemque decus ac dignitatem pro honoris gradu sustinere debuisse, et apud praetorem filii locum obtinuisse. Cuius necessitudinis paternae optimi testes citari hi loci possunt, qui reperiuntur apud Ciceronem in divinat. in Caecil. c. 19: „*Sic enim a maioribus nostris accepimus, praetorem quaestori suo parentis loco esse oportere: nullam neque iustiorem, neque graviorem causam necessitudinis posse reperiri, quam coniunctionem sortis, quam provinciae, quam officii, quam publicam muneris societatem*". Atque epist. ad Fam. XII, 10: „*Satis enim commendatum tibi eum arbitrabar ab ipso more maiorum, qui, ut te non fugit, hanc quaesturae coniunctionem liberorum necessitudini proximam voluit esse*". — Cf. ad Att. VI, 6; post redit. in senat. c. 14. Huic autem singulari officii coniunctioni, tanquam sanctiori cuidam religioni societatis, tantum putabant tribuendum esse Romani, ut paternam illam necessitudinem non perpetuam modo esse vellent, sed omnem etiam illius violandae vel etiam dirimendae libidinem nefas esse iudicarent. Quo referendus est ille locus, qui est in Ciceronis divinat. in Caecil. c. 19: „*Itaque neque C. Philoni in C. Servilium nominis deferendi potestas est data, neque M. Aurel. Scauro in L. Flaccum, neque Cn. Pompeio in T. Albucium: quorum nemo propter indignitatem repudiatus est; sed ne libido violandae necessitudinis auctoritate iudicum comprobaretur*". — Quocirca tantum abfuit, ut quaestor ullus exoriretur, qui praetorem, quocum antea fuisset publica muneris societate

coniunctus, accusaret, ut eum postea, ubicunque et quibuscunque posset modis, defenderet. Cf. Asconius Ped. in Milon. pag. 36; Cic. de Orat. II, 47 et 50; Caes, de B. Gall. VIII, c. 50. — In paterna autem illa coniunctione senatus populusque Romanus hoc potissimum spectabat, ut summo loco orti adolescentes, qui provinciales magistratus capesserent, eum multarum rerum usum ac scientiam consequerentur, ut postea, altiores honoris gradus adepti, possent in rerum et civilium et bellicarum varietate perite versari. Unde cum ille senatus maxima in rei publicae salutem commoda redundatura esse confideret, neque quidquam omitteret, quo tanquam incitamento aliquo quaestorum animi incenderentur: certe non est, quod miremur, quare iidem illi maiorem in provinciis, quam legati, honoris gradum tenuerint.

Sed etiamsi illa, cum res ipsa loquatur, verissima putanda sunt, tamen hoc mihi non minus verum videtur esse, praesides iis legatis, qui iam antea gessissent magistratus maiores, vel provinciis praefuissent, debuisse plus, quam quaestoribus ipsis, tribuere. Cuius rationis argumentum videtur peti posse ex epist. 15 lib. II, ad Caelium data, in qua Cicero eas causas affert, propter quas Caelium Caldum quaestorem, non alium, qui superiore honore usus fuerit, ut Quintum fratrem, provinciae praefecerit. Illud autem in primis urget et addit, se a Quinto fratre, legato suo, ut se absente provinciae praeesset, impetrare non potuisse et, si eundem reliquisset, habuisse, cur omnia timeret; se nobilem adolescentem Caelium quaestorem non tam allicere voluisse, quam alienare noluisse.

Verumtamen cum legati fiduciariam tantum operam obtinerent, atque agere omnia ad praescriptum deberent, incertum illud quidem atque obscurum esse nequit, quare, quamvis magna fuerit in iis auctoritas, quamvis magna de eorum rebus gestis opinio, tamen nunquam potuerint neque supplicationis, neque triumphi honorem adipisci. Eum enim ipsum constat, nisi ad eos, qui essent cum imperio militari lege curiata dato provinciis praefecti, non potuisse deferri. Quae res eo minus potest ullam iustam reprehensionem habere, quod, qui sua sponte ac libere ad summam rerum consulere, quique legatorum omnia cum dicta, tum etiam facta praestare debuerint, eosdem convenit ex rebus gestis, triumphis aliisque ornamentis gloriae fructum percipere. Quare iure potest dubitari, num quis hoc scriptum acceperit, ullum unquam legatum, etiamsi pro Consule, vel pro Praetore in provincia relictus res gessisset praeclarissimas, tamen iustum aliquem triumphum egisse.

V.

Legati num imperium in provinciis, lictores et secures habuerint, nec ne?

Quanquam illa, quae ego dixi, honoris ac gloriae ornamenta legatos consequi non potuisse, nemo non intelligit, tamen, num iidem potestatis dignitatisque insignibus, velut imperio, lictoribus securibusque, usi fuerint, eo magis videtur esse quaerendum, quo maior est inter viros doctos hac de re opinionum discrepantia. Qui quidem ita in contrarias partes disserunt, ut quod alteri affirmant, negent alteri, neque res confecta et expedita, sed magis impedita et contorta esse reperiatur. Quare quid illi in medium protulerint, videamus diligentius.

Ita *C. Sigonius* (de Antiq. Jure provv. lib. II, c. 2, pag. 276.) haec tradit: „Quoniam autem praesides cum legatis potestatis atque imperii partem communicabant, hinc factum est, ut et ipsi legati lictoribus et fascibus uterentur". — At primum cum non semper, sed, necessitate flagitante, praesides cum legatis imperii partem communicarent, haec verba „cum iis necesse videbatur" male abesse apertum est; deinde in eo loco, qui tanquam gravissimus testis citatur a Sigonio, ut in Action. in Verrem secunda lib. I, c. 22, 60, verba „*cum imperio et securibus*" a recentissimis Verrinarum editoribus non minus optimorum codd. mss. auctoritate, quam re ipsa postulante, iure omissa sunt. *Manutius* vero, qui (in Comment. ad Cic. oratt. pag. 160, b.) illa verba omissa revocavit, vix potest idoneus testis afferri; a se enim ipso dissidet, cum ibidem haec dicit: „imperium igitur et legatus habebat et lictoribus utebatur; id et ex lib. XII, Fam. epist. 30 ad Cornificium cognoscitur". — Eodem autem libro (pag. 723, b.) ad orat. pro Sestio habitam c. 60 haec profitetur: „Quaestores et legati imperium in provinciis non habebant; ideo eos separatim Cicero nominat". — Maiore etiam, quam Manutius, studio contendit *Abramius*, ut in interpretandis Ciceronis verbis, quae sunt in orat. de provv. consul. c. 3: „*Macedoniam — exigua manu sine imperio per legatos nomine ipso populi Romani tuebamur:*" legatos cum potestate quidem, sed sine imperio fuisse demonstret. Lictoribus tamen interdum honoris causa iis uti permissum fuisse, imperium iis non fuisse, quod propria auspicia non habuissent, unde post insignem aliquam victoriam ab exercitu non essent salutati imperatores". Similia fere ibidem tradit *Graevius*, qui legatos unquam habuisse

imperium et proconsules hoc dare iis potuisse negat; iurisdictionem dicit potuisse legatis mandare, et fasces etiam ac secures nonnunquam. Atque idem adulterina illa scriptura, quae invenitur in lib. I, c. 22 Verrinarum, inductus pergit dicere, valde improprie vocem „imperii“ poni pro potestate quadam extraordinaria, quam imperator legato dedisset, ut tanta eius esset ibi, quo mitteretur, auctoritas, quanta imperatoris, qui ipse venisset“. — Et Abramius et Graevius quam parum dilucide vera a falsis, sive quid interesset inter imperium militare, ratis auspiciis datum, et inter civile, in quo esset et iurisdictio et aliarum rerum civilium administratio, destinxerint, perspicuum est ac manifestum. Quis enim non ignorat, legatos imperium militare, sive summam rei bellicae potestatem, a senatu et lege curiata delatam, quod auspicia non haberent, neque habere nec rem suis auspiciis gerere potuisse? Quibus quid datum, quid non datum sit, quid facere licuerit, quid non licuerit, infra videbimus. — Ad illum autem Verrinarum locum *Garatonius* (Not. in Cic. oratt. Pars I, pag. 178 sqq.) legatos cum imperio fuisse et lictoribus uti solitos esse, acrius et copiosius, quam probabilius et verius, quod infra docebimus, defendit. Quae ibidem *Garatonius,* Wielingii auctoritatem secutus, conatur probare, eorum errorem coarguit *Madvigius* (in Disputt. critic. de Asconii in Cicer. oratt. commentarr. Havniae 1828, pag. 101.), qui recte docet, illa verba „*cum imperio*“ quantum a loci ratione abhorreant. Nec vero minus Garatonii ratio improbatur a *Zumptio*, qui ad illum Verrinarum locum negat, Garatonium aliud quidquam efficere potuisse, nisi legatos saepe inveniri apud scriptores cum lictoribus et potestate aliqua propria, tanquam legatos populi Romani, *imperium* tamen et *secures* legatis tribui, non facile posse probari. Tum etiam idem, quod *Madvigius*, iudicavit *Zumptius*, illa verba „*cum imperio*“ et „*securibus*“ e lib. IV, c. 4, ubi de praetore recte dicta essent, huc a librario aliquo esse translata. Contra *Nieupoortius* (lib. sup. all. pag. 134.) et *Schwarzius* (in observatt. ad Nieupoortii compend. antiqq. Rom. pag. 189.) mediam quandam viam sequuntur, cum ille ita tradit: „lictoribus quoque et fascibus legati, aliquando certe, utebantur“, hic autem: „lictoribus tamen honoris causa interdum iis (legatis) uti permittebatur“. — Verba illa „*aliquando certe*“ et „*honoris causa interdum*“ a re ipsa aliena esse non obscurum est; nam neque „*aliquando*“ neque „*interdum*“, sed, quum praesidibus necesse videbatur, lictoribus et fascibus uti legatis concedebatur.

In illa causa *C. Sigonius*, etsi acutius vidit, quam reliqui, quos ego

nominavi, et a vero proxime abest, tamen ea, quae hac de re tradidit, non satis explorate, ut supra significavi, percepta et cognita habet. Illi autem ipsi ad unum omnes ea, ad quae revolvuntur omnia, parum diligenter observarunt: legatis, qui fiduciariam tantum operam obtinerent et agere omnia ad praescriptum deberent, licuisse, si quid vellent praesides vel mandarent, exsequi et, si quid ipsis concederetur vel potestatis, vel honoris, vel dignitatis, id habere ac tueri. Sed cum, quidquid in provinciis aut institueretur, aut perficeretur, praesidum arbitrio et iudicio esset relictum, hinc factum esse patet, ut ii ipsi, si res videretur postulare, cum legatis possent imperii, qualecunque id esset, vel militaris partem communicare. Neque id iniuria. Nam quid potest esse ad rem ipsam convenientius, quam praesides vel imperatores, qui omnem rei culpam sustinere atque omnes belli casus, imo vero si quid ageretur, praestare deberent, in summo rerum discrimine, vel ubicunque commodum videretur, tantum, quantum vellent, de imperio militari ad legatos transferendi ius potestatemque habuisse? Quod nisi ita fuisset, quid futurum fuit? Numne, ut hoc utar, Labienus contra Aeduos et Bellovacos (Caes. de B. Gall. VII, 56 sqq.) rem tam egregie gerere, et cum copiis suis omnibus incolumis ad Caesarem pervenire potuit, nisi imperii militaris partem, qua praeclaram illam victoriam libere agendo consequeretur, a Caesare mandatam habuisset? At etiamsi illud non potest in dubium vocari, quin praesides, re cogente, legatos imperii militaris socios sibi adiunxerint, vel potuerint arbitratu suo sibi adiungere; tamen pro vero constat, iustum istud imperium, quod lege curiata daretur praefectis provinciarum, tanquam annuum quoddam a senatu ad legatos nunquam fuisse delatum. Quod tamen senatus pati eo minus poterat, quod legati essent cum imperatoribus, quorum erant adiutores, sive dignitate sive auctoritate exaequati.

Nec vero minore iure existimandum est, proconsules vel propraetores potuisse aliquam imperii civilis, quod vocatur, partem legatis impertire. Hoc autem ut fieret, et necessitas et rei ratio videbatur postulare, cum senatus populusque romanus provinciale iuris dicendi reique bene administrandae munus in legatorum opera, cura, fide, consilio positum esse putaret. Quocirca quid potest esse apertius, quam magistratus maiores, qui maximis iisdemque bellicosissimis provinciis praeessent, tot tantisque negotiis impeditos fuisse, ut expedire ea non possent, nisi potuissent suae ipsorum potestatis partem legatis concedere,

qua iidem ex suo iudicio liberi ac soluti uterentur ad gravissimas res conficiendas? Qui enim fieri potuit, ut in amplissimis provinciis tot conventus agerentur, tot tamque turbulenta et operosa et invidiosa negotia transigerentur, nisi licuisset praesidibus, re postulante, imperii civilis partem ad legatos deferre? Eo spectare videntur ea, quae Cicero in Verrem lib. I, 17, 44. extr. hunc in modum dicit: *„Ne sit hoc crimen in Verrem, fecerunt alii, cum ille non daret, animadvertit“*: ubi tota ratio, qua Verres in animadvertendo usus est, exponitur. Et ibidem c. 20: *„Quas enim sociorum atque amicorum urbes adisti legationis iure et nomine, si in eas vi cum exercitu imperioque invasisses“?* — De discrimine autem vocum *„potestatis, imperii, in imperio, cum imperio et potestate esse“* conferantur ea, quae a me disputata sunt in: „Quaestt. de Proconsulibus et Propraetoribus etc. pag. 35 et sqq. Hanov. 1831“.

Ita mihi quidem videor satis probasse, qui provinciis praeessent, eos potuisse imperii sui aut militaris aut civilis sive togati aliquam certe partem legatis mandare. Sed non recte inde colligitur, omnes legatos nunquam non cum imperio fuisse, sive sine imperio esse non potuisse. Cui quidem opinioni *Garatonius* (l. sup. all. pag. 179 sqq.) ut fidem faciat, tentat omnia, quamquam iis, quae disputantur ab eo, non probantur, quae probanda sunt. Huc accedit, quod, ut rem suam loci alicuius testimonio confirmet, illa verba *„cum imperio“* in Verrin. lib. I, c. 22 extr. post *„legationis nomine“* ab aliquot librariis et editoribus illata defendit neque cogitat, scripturam illam, id quod supra demonstravi, neque optimorum codicum mss. auctoritate, neque loci ratione posse comprobari. Nec vero quidquam interest, imperium legatis ab imperatore commissum utrum militare, an civile fuerit, sed hoc quaeritur, utrum illud ut legitimum fuerit a senatu vel a populo Romano datum, an a praesidibus ex re vel pro tempore et concessum et ademtum?

Quae hoc loco de imperio legatorum diximus, eadem possunt in lictores et fasces, quibus illi usi sunt, traduci. Primum illud quidem, quod nonnulli viri docti conati sunt facere, in dubitationem adduci non potest, quin ulli unquam legati illa potestatis dignitatisque insignia habuerint. Namque a Livio (lib. 29, c. 9.) de Pleminio, P Scipionis imperatoris legato hoc scriptum accepimus: *„Sine respectu non dignitatis modo, sed etiam humanitatis, in legatum impetum, lictoribus primum indignum in modum mulctatis, faciunt“*. Et Cicero in Verrin. I,

c. 26, 67, de Verre, Dolabellae legato, qui erat Lampsaci nefarium scelus facturus, hoc dixit: „*Hic lictor istius* (Verris) *Cornelius, qui cum eius servis erat a Rubrio quasi in praesidio ad auferendam mulierem collocatus, occiditur*". Cicero in epist. ad Cornificium data, quam supra iam commemoravi, lib. XII, ep. 30, de Calvisii legatis, per quos Cornificius Africam absens obtinebat, haec scripsit: „*De Venuleio, Latino, Horatio* (Calvisii legatis), *valde laudo* (quod iis lictores ademit). *Illud enim non nimium probo, quod scribis, quo illi animo aequiore ferrent, te tuis etiam legatis lictores ademisse*". Conf. praeterea Spartianus in Severo c. 2, qui, legatione proconsulis Africae accepta, fasces habebat iisque utebatur.

Hisce testimoniis perspici potest, legatis non datos esse solum lictores et fasces, verum etiam, si illi honore digni non essent, ademtos esse vel adimi potuisse. Nihil autem probabilius esse iudico, quam praesides, sicut, si res ferret, legatis eripere illa insignia possent, ita tribuendi potestatem habuisse. Et hoc potissimum ideo videtur esse factitatum, ut, qui provinciis essent praefecti, vel iis, qui negotiorum suorum causa legati essent legatione libera, lictores concederent, quod intelligitur ex Ciceronis epist. 21 ad Cornificium data lib. XII, ubi scriptum est: „*In primis, quod ei* (C. Anicio) *carissimum est, dignitatem eius tibi commendo idque a te peto, quod ipse in provincia facere sum solitus non rogatus, ut omnibus senatoribus lictores darem: quod idem acceperam et cognoveram a summis viris factitatum*". — Quod hic praesides iis senatoribus, qui habebant liberam legationem, facere solebant, quidni iis in aliis legatis, negotiorum administris, licuisse arbitremur? Sed Romani, sicut lictores cum fascibus ut potestatis insignia necesse ducebant, ut legati eorum, qui ipsorum consiliis occurrerent atque resisterent, conatus comprimere istorum opera possent, sic eadem magis etiam in proconsulibus et propraetoribus dignitatis ornamenta esse volebant. Aperte hoc declarat Cicero in epist. ad Quint. fratrem dat., lib. I, 1, 10, his verbis: „*Sit lictor non suae, sed tuae lenitatis apparitor, maioraque praeferant fasces illi ac secures d i g n i t a t i s i n s i g n i a, quam p o t e s t a t i s*". — Quod ibi de propraetoris fascibus et securibus dicitur, id putandum est in legatorum fasces sive insignia convenire, quae cum ad eorum potestatem sive ad imperium civile, tum praecipue ad publicam, quam legati sustinebant, dignitatem augendam referenda esse videbantur.

Sed cum ex iis, quae ego supra explicavi, aperta causa sit, quare imperium vel militare, vel civile existimandum sit a praesidibus, re exigente, legatis esse mandatum; hoc certe dubium esse non potest, quin lictores iisdem (legatis) fasces ac secures praetulerint. Quicunque enim erant cum imperio, ii potestatis dignitatisque insignia habebant, et contra quicunque lictoribus utebantur, aliquam certe imperii vel militaris, vel civilis partem habebant, si modo eos, qui erant in legatione libera, exceperis. Itaque ego plane dubito, num praeter eos, qui liberam aliquam legationem haberent, ullus unquam legatus inventus sit, qui lictores habuerit, imperii partem non habuerit? Nec vero infirmatur haec sententia et convellitur iis verbis, quae leguntur in orat. pro Ligario habita c. 7, 22: „*Varus imperium se habere dicebat; fasces certe habebat*". Nam Varus, quoniam imperium militare sibi sumserat et arrogaverat, verum sive lege datum imperium habere non poterat, quamquam fasces, imperii insignia, habebat.

VI.
Legatorum munera qualia fuerint?

Quae iam de variis legatorum generibus, de ea ratione et coniunctione, quae iis in munere provinciali erat cum proconsulibus et propraetoribus, de dignitatis gradu, de imperio, de lictoribus et fascibus disputavi, ex iis quidem videtur posse iudicari, quot et qualia fuerint eorum, quae illi (legati) sustinerent, munerum genera. Quae etsi eo loco, qui supra iam a me allatus est ex oratione in Vatin. c. 15, breviter significantur, tamen necessarium esse arbitror, singulas huius rei partes, priusquam eas exponam planius, ad genera sua revocare. Haec autem tria esse constat, ad quae possunt singula munera referri; unum rei bellicae gerendae; alterum iuris dicendi; tertium aliarum rerum civilium obeundarum. Ea rursus distribuendi ratio non dubium est, quin ad duo illa provinciarum genera accommodanda sit. Nam nemo fere ignorat, in provinciis consularibus maiorem rei militaris, in praetoriis maiorem iurisdictionis aliarumque rerum civilium habitam esse rationem; in illis legatos proconsulibus vicariam potissimum in bello gerendo, in his propraetoribus in iure dicendo aliisque rebus administrandis operam navasse.

Jam in provinciis consularibas, in quibus maior rei bellicae ratio ducebatur, legati erant, ut est in illo loco Ciceronis (in Vat. c. 15.), bellici consilii auctores, cum pro dignitatis suae gradu in bellico consilio primi ab imperatore vel a proconsule rogarentur sententiam essentque aliis suasores, quid in dicenda sententia sequerentur. Etenim legatos ideo missòs fuisse a senatu, ut ab imperatore in consilium adhiberentur, perspici potest iis verbis Varronis, quae supra memorata sunt, de L. Lat. V, 16 (ed. Spengel.): „*Legati lecti publice: horum opera consilioque uterentur peregre magistratus*“. Quamobrem a Polybio „πρεσβεύται καὶ σύμβουλοι“ „*legati et consiliarii*“, a Dione Cassio „ὑπομείονες, ὕπαρχοι“, in primis „πάρεδροι“ „*assessores*“ ad munus eorum explicandum nominantur. Cf. Dio. Cass. LIII, c. 14: „καὶ οἱ παρεδρεύοιτες τοῖς τὸ κῦρος τῆς ἀρχῆς ἔχουσιν —ἐπεὶ οἵ γε ἄλλοι πρεσβευτὰς καὶ τούτους ἑλληνίζοντες ὀνομάζουσιν. *Abramius* a Spartanis iam institutos esse illos quidem consiliarios existimat, quos a regibus additos esse aliquot exemplis a Thucydide petitis probare conatur. Verumtamen cum hoc loco non unde ortum sit nomen consiliariorum, sed num legati Romanorum eiusmodi consilio bellico interfuerint, quaeratur; ex multis locis, quibus illud confirmatur, hi pauci potissimum comparandi sunt, ut Sall. Jug. c. 62, 5: „*Ita more maiorum ex consilii decreto per legatos Jugurthae imperat* (Metellus imperator) *argenti pondo ducenta millia, elephantos omnes*“. Quo ex loco intelligitur, hoc more valde utili receptum fuisse, ut in omnibus rebus gravioribus imperatores, priusquam aliquid statuerent, cum iis, qui cum rei militaris usu ac scientia praestarent, tum vero multum auctoritate valerent, consilia instituerent, in quibus legatos constat primum ab imperatore locum obtinuisse. Adde ibid. c. 29, 5: „*Igitur rex, uti constituerat, in castra venit, ac pauca praesenti consilio locutus de invidia facti sui — transigit*“. Cf praeterea ibid c. 104, 1; Liv. 34, 13, 4; 44, 2, 5, ubi Gronovius multa Livii exempla collecta praebet; Caes. de B. Gall. 3, 24, 8; 5, 28, 2; 6, 7, 6; Lipsius de Milit. rom. II, dialog. octavo, de primipilo centurione locutus bene demonstravit, ex quo hominum genere esset bellicum illud consilium, in quo honestissimum dignitatis locum tenerent legati. Recte *Sigonius* quoque (de Antiq. Jur. Provincc. II, c. 6.) docet ac veterum scriptorum testimoniis comprobat, non imperatores ipsòs solum, sed etiam eorum legatos, tribunos, praefectos in illo consilio ius dixisse, ac delicta pro suae quemque auctoritatis modo castigasse; hoc autem in principiis loco in

castris post praetorium et quaestorium nobilissimo fecisse, in quo essent poenae plerumque de militibus sumptae.

Sed quanta erat legatorum laus in dando consilio, tanta certe erat vel maior etiam in rebus bellicis et suscipiendis et bene administrandis. Quod quidem minime mirum. Nam praesides cum solerent eos a senatu legatos petere, qui rei militaris usu non minus essent insignes, quam spectata virtute admirabiles, non sine gravissima causa faciendum putabant, ut iis, quorum consilio confiderent plurimum, in magnis rebus gerendis aliquam imperii militaris partem committerent. In qua imperii parte legati tantam illam, quam de se concitaverant, spem non modo non frustrabantur, sed etiam ita superabant, ut, cum res in summo versaretur discrimine, non raro momentum afferrent, ac praeclarissimas ex hostibus referrent victorias.

Ex tantis autem rebus per legatos gestis satis sit hasce paucas commemorasse, ex quibus intelligi potest, quantum legati, etiamsi ex imperatoris mandato agerent, tamen locorum intervallis disiuncti et in ea parte copiarum, quibus praeessent, suo iudicio usi ad magnas victorias adipiscendas valuerint. Ita, ut vetera omittam, quantum C. Marius, Metelli legatus, Siccam missus (Sall. Jug. c. 57.) in Jugurtha repellendo (c. 58.) et in Zama oppugnanda (ibid. c. 60.) effecit? Cui non succurrit, quid de Murena, L. Luculli legato, Cicero in oratione pro Murena habita c. 9. hisce verbis commemoret? „*Murena fortissimo et sapientissimo viro, summo imperatori, legatus L. Lucullo fuit; qua in legatione duxit exercitum, signa contulit, manum conseruit, magnas copias hostium fudit, urbes partim vi, partim obsidione cepit.* Et ibid. „*Maximo in bello sic est versatus, ut hic multas res et magnas sine imperatore gesserit, nullam sine hoc imperator*". —

Legati autem, cum ab imperatore alicui parti copiarum essent praefecti, quanto fuerint ei adiumento ad magnas res perficiendas, probare singulari exemplo suo potest Q. Cicero, qui legatus Caesaris, cum castra eius oppugnarentur a Nerviis, summis periculis circumventus maximisque perfunctus laboribus, firmo animo invictaque constantia omnes hostium vel acerrimos ac repentinos impetus propulsavit. Cf. Caes. de B. Gall. lib. V, c. 39 et sqq.; lib. VI, c 32). Et quantam Caesari in bello Gallico operam praebuerit Labienus legatus, quamque excelluerit et singulari virtute, et disciplina militari, satis perspicuum est ex innumeris Caesaris locis, in primis autem his, qui sunt de B. Gallico V, c. 58;

VII, 60 et sqq.; ibid. c 57 et 59 sqq. et 62. Quid? quod Cicero ipse, quantum Ciliciae proconsul in turbatis rebus legatis suis, in primis Quinto fratri debuerit, scriptum reliquit his verbis epist. 4, lib. XV: „*Quum ante adventum meum seditione quadam exercitus esset dissipatus, quinque cohortes sine legato, sine tribuno militum, denique etiam sine centurione ullo apud Philomelum consedissent, reliquus exercitus esset in Lycaonia: M. Anneio legato imperavi, ut eas quinque cohortes ad reliquum exercitum duceret, coactoque in unum locum exercitu, castra in Lycaonia apud Iconium faceret*". Ibid. „*Exercitum in hiberna dimisi. Q. fratrem negotio praeposui, ut in vicis aut captis, aut male pacatis exercitus collocaretur*". — Quae autem rei bellicae potestas a proconsule permittebatur legatis, ea in provinciis consularibus ita definita erat, ut legati singuli singulis praefici legionibus solerent. Cuius rei idoneus testis est Caesar ipse, qui in Commentarr. de B. Gallico I, c. 52, haec narrat: „*Caesar singulis legionibus singulos legatos et quaestorem praefecit*". — Et ibid. VII, c. 45: „*Caesar — raros milites — transducit legatisque*, *quos singulis legionibus praefecerat, quid fieri vellet, ostendit*". Cicero in illa, quam supra attuli, epistola (15, 4.) scripsit: „*Distributis cohortibus et auxiliis, quum aliis Q. frater*, *legatus*, *mecum simul; aliis C. Pomptinus, legatus; reliquis M. Anneius et L. Tulleius legati praeessent: plerosque nec opinantes oppressimus*". Hic quatuor legati, quatuor Ciceronis legionibus praepositi, nominantur. Confer. Manutius, qui (in Commentar. ad epistol. ad Fam. T. I, pag. 69, b.) aliis locis studet efficere, ut probabile videatur, singulis legionibus singulos legatos esse praefectos.

At nonnunquam tamen accidisse cognovimus, ut proconsul, si cogeretur, ab exercitu aliquo discedere, absens uni ex legatis, in cuius virtute ac prudentia maximam spem praesidii positam haberet, solito maiorem imperii partem traderet, eumque non uni, sed duabus vel pluribus legionibus pro Praetore praeficeret. Quod ideo videtur esse factum, ut, qui proconsulis personam teneret, non maiore modo nominis dignitate ornaretur maioreque esset auctoritate, verum etiam plus opibus, armis, potentia valeret et apud milites, et apud hostes, et apud provinciales. Hoc tamen imperium certis quibusdam finibus terminatum eiusque dignitatem, quamdiu videbatur proconsuli, legatus retinebat. Eiusmodi vero nomine praetorio qui appellabantur, iure putantur ex alio quidem, sed simili genere fuisse, atque ii, quos eodem nomine ornatos relinquebant praesides de provincia dece-

dentes, ut haberent, qui, donec succederetur, ipsorum munera exsequerentur. Id autem ipsum legatorum genus, sicut breviter hoc loco attigisse satis habeo, sic necesse duco, infra singulatim explicare. Verum illud, quod ego prius nominavi, genus quale fuerit, ut cognoscatur melius, non omittam, exemplum aliquod ex Caesaris commentariis sumptum proponere.

Caesar in eo bello, quod gerebat cum Helvetiis, necessario coactus in Italiam magnis itineribus contendere, ad rem gerendam duabus legionibus T. Labienum legatum pro Praetore praeposuit, eumque ad exercitum regressus retinere hanc dignitatem aliquamdiu passus est. Cf. de B. Gall. I, c. 10: *„Ob eas causas ei munitioni — T. Labienum legatum praefecit; ipse in Italiam magnis itineribus contendit; duasque ibi legiones conscribit"*. Atque ibid. c. 21, 2, ita narrare pergit: *„De tertia vigilia T. Labienum legatum pro Praetore cum duabus legionibus — summum iugum montis adscendere iubet; quid sui consilii sit, ostendit"*. Hoc loco illa scriptura „legatum pro Praetore" mirifice vexavit interpretes. Alii enim dubitant, num Labienus potuerit tale nomen etiam tum habere, cum Caesar iam ex Italia revertisset imperiique summam in suos recepisset, et num legatus, praesente proconsule, nomen *„pro Praetore"* unquam habuerit; alii negant, illud legatorum genus cognitum ante Augusti tempora fuisse. Sunt etiam, qui nos admoneant, ut meminerimus, Caesarem, quotiescunque deinceps Labieni mentionem fecisset, eum simplici legati nomine appellavisse. Attamen Ursinus Caesaris locum ita defendit, ut scripturam illam, pro qua aliquot editores legi volebant *„propere,* et optimorum codd. mss. auctoritate, et veterum inscriptionum et argenteorum etiam denariorum, in quibus M. Bruti procons. legatus, Q. Metelli Pii legatus, et Cn. Pompeii legatus legati pro Praetore dicuntur, testimoniis firmari commode demonstraret. Huc accedit, quod totius sententiae, quae illi loco subiecta est, ratio non minus illam scripturam flagitat. Nam etsi Caesar in Galliam redierat et ipse exercitui praeerat, tamen nihil verisimilius videtur, quam Labieno ab illo esse concessum, ut aliquantulum usque ad anni exitum maiorem illam rei bellicae potestatem cum ampliore nominis dignitate teneret. Neque enim ita modo Caesar, quantum Labieno tribueret, ostendit, verum etiam non ignoravit, quantum rei ratio postularet, ut maior eidem pars imperii militaris permitteretur. Quid enim potuit esse perniciosius, quam ei legato, qui erat magnae parti copiarum prae-

fectus, eo ipso tempore, quo hostes appropinquarant, id adimere, quo plurimum posset proficere ad nova, quae undique imminerent, pericula depellenda?

Ex iis autem, quae ego exposui, facile perspicitur, imperium extra ordinem datum solitum esse illo nomine ornari, cum, absente imperatore, qui pro Consule provinciae praeesset, legati aliquo dimitterentur ad rem gerendam. Ex quo exemplo iudicandum est, Labienum a Caesare proconsule legatum pro Praetore esse nominatum. Ex hoc genere fuit C. Murena, qui a Sallustio (Cat. c. 42. extr.) legatus praefuisse Galliae ulteriori narratur, quamquam Luc. Murena, eius frater, in eadem provincia summo cum imperio fuisse dicitur a Cicerone in orat. pro Murena c. 47. Eidem quoque generi adiungendi sunt duo illi legati, quos Pompeius, cui proconsuli in quinquennium provinciae datae erant duae Hispaniae, his cum integra iuris dicendi potestate praefecit; de quo Caesar (de B. Civ. I, 85, 8) ita queritur: „*In se novi generis imperia constitui*, *ut idem ad portas urbanis praesidia rebus, et duas bellicosissimas provincias absens* (Pompeius) *tot annos obtineat: in se iura magistratuum commutari, ne ex praetura et consulatu, ut semper, sed per paucos probati et electi in provincias mittantur*“.

Hic etiam observanda sunt, quae Spanhemius (de usu et praest. Numm. Tom. II, pag. 179 et 180.) de legatis, qui erant pro Praetore, disputavit, quamquam pleraque ad id genus legatorum, qui erant Imperatorum temporibus, referenda sunt. Et si rem ad similitudinem quandam dirigamus, respiciendum videtur illud genus quaestorum, qui aeque ac legati a proconsulibus non cum una legione, sed cum duabus pro Praetoribus fuerint missi. Nec minus huc pertinent ea, quae ab Hirtio (Bell. Alexand. c 42, 2.) de Q. Cornificio, Caesaris quaestore, in hunc modum memoriae prodita sunt: „*Eo* (in Illyricum) *missus aetate cum duabus legionibus Q Cornificius*, *Caesaris quaestor pro Praetore*, *quamquam erat provincia minime copiosa — et finitimo bello ac dissensionibus confecta et vastata, tamen prudentia ac diligentia sua*, *quod magnam curam suscipiebat*, *ne quo temere progrederetur*, *et recepit et defendit*“. — Maiores tamen muneris bellici partes iis legatis, qui erant a proconsule praesente propraetoris nomine ornati, tum primum dabantur, cum Pompeius et Caesar, in maximis iisdemque infestis provinciis negotiorum multitudine quasi obruti non poterant, quin maiorem rei militaris partem cum iis legatis, quorum virtuti ac fidei multum tribuerent, suo arbitratu communicarent.

Legati vero ad eorum proconsulum, quibus ob res bello praeclare gestas decretus erat triumphus, gloriam amplificandam cum tribunis militum in equis sequebantur currum triumphalem. Quod quidem videtur eo orationis in Pisonem loco indicari, in quo Cicero c. 24. ita de triumpho dicit: *„Quid habet iste currus? quid vincti ante currus duces? quid simulacra oppidorum? quid aurum? quid argentum? quid legati in equis et tribuni?“* *Abramius* quidem non dubitat affirmare, vix ullum exstare in antiquitate vestigium, quo legati in equis sedentes currum istum secuti esse reperiantur. Iis autem locis, qui ab eo comparantur, simile quid leviter modo significatur, non idem confirmatur.

Nec vero minus egregia, quam in bello gerendo, erat in iure dicendo legatorum opera et adiumentum, quo liquet cur maxime utendum fuerit in provinciis praetoriis. Quae quamquam pacatae et quietae esse solebant, nec fere ulla in iis belli administratio quidquam exhibebat molestiae atque negotii, tamen sola iurisdictio erat tanti oneris tantique laboris, ut propraetores sine legatis adiutoribus, rerum forensium usu praeditis, soli agere et tractare incredibilem quandam causarum multitudinem non possent. Nam cum unus praeses non in una provincia, sed interdum in duabus vel in pluribus iisdemque magnis iuris dicendi curam sustineret; cumque magni agendi essent conventus, in quibus multae causae ac graves et provincialium ipsorum et civium romanorum vel utrorumque inter se controversiae dirimerentur; cum in disiunctis ac longinquis regionibus quam plurimi simul ius poscerent: fieri non potuit, ut tanta negotia a praetore sine administris ac vicariis rei gerendae peritissimis conficerentur. Ad hoc vero iuris dicendi munus in primis legati adsciscebantur, quippe qui summis saepe in republica honoribus perfuncti, magnoque usu forensi in causis actitandis versati didicissent lites controversiasque transigere. Quo factum est, ut propraetor nonnunquam, re exigente, quaestori quidem eius muneris aliquam partem mandaret, multo autem saepius legatis concederet, ad quos eamdem delatam esse patet ex Ciceronis oratione pro Flacco habita c. 21, ubi *Gratidius legatus, ad quem est aditum, actionem se daturum negavit; re iudicata stari ostendit placere*“. Idemque colligi potest ex epistola ad Q. fratrem data I, 1, 7, 20, in qua scriptum legitur: *„Sed tamen parvi refert, abs te ipso ius dici aequabiliter, nisi idem ab iis fiet, quibus tu eius muneris aliquam partem concesseris*“.

At vero etsi controversum esse non potest, quin iuris dicendi aliqua pars

legatis concessa fuerit, tamen illud saepius in disceptationem vocatum est, quibus eadem illa terminis esset definita. Quo in genere hoc videtur posse pro certo haberi, legatos privatarum causarum cognitionem mandata iurisdictione habuisse, publicas autem quaestiones exercere debuisse praesides; neque legatos, cum fiduciariam tantum ac vicariam operam obtinerent, nisi praesides a provincia abfuissent, animadvertendi ius habuisse. Sed sicut ea, quae *Schwarzius* (Observatt. ad Nieupoort. pag. 187 et 189.) et *Heineccius* (Syntagm. I, Append. §. 109, pag. 322) illa de re dixerunt, ne digna quidem sunt, quae commemorentur, ita ea, quae *Sigonius* (de Ant. Jur. Provv. lib. II, c. 5, pag. 292.) disputavit, tam egregie exposita sunt, ut haec eius verba huc transcribere non alienum esse videatur".

„*Praesides*, inquit, cum legatis iurisdictionem mandarunt, non publicarum quaestionum exercitionem mandarunt, sed privatarum controversiarum cognitionem, quae proprie iurisdictio dicta est. Quae quoniam a magistratu profecta est, neque cum quaestione, id est, publicarum causarum cognitione coniuncta fuit, quae a lege tota pependit: sane intelligendum est, praesidem, ne si voluisset quidem, quaestionem mandare potuisse, nisi forte lege, quae de quaestione illa scripta esset, nominatim cautum esset, ut is, cui exercitio eius quaestionis obtigisset, posset eam mandare. Erant enim de singulis — criminibus latae leges, ut de adulteriis, vi, falso, peculatu, quibus quid cuique observandum esset, qui aut Romae quaereret, aut provinciam obtineret, sciscebatur. Ex quo intelligi potest, cum iurisdictio mandabatur, privati tantum iuris cognitionem esse mandatam, publici vero iuris exercitionem nec mandatam esse, nec mandari licuisse, nisi id nominatim scriptum esset in lege. Atque hoc mihi videtur voluisse Papinianus titulo de officio eius, cui mandata est iurisdictio, quem locum Jurisconsultos torquere plerosque audio". — Haec Sigonius. Pertinent huc, quae sunt in Dig. lib. I, Tit. XXI: „*Quaecunque specialiter lege, vel senatusconsulto, vel constitutione principum tribuuntur, mandata iurisdictione non transferuntur; quae vero iure magistratus competunt, mandare possunt. Et ideo videntur errare magistratus, qui quum publici iudicii habeant exercitionem lege vel senatus consulto delegatam, veluti legis Juliae de adulteriis, et si quae sunt aliae similes, iurisdictionem suam mandant. Huius rei fortissimum argumentum, quod lege Julia de vi nominatim cavetur, ut is, cui obtigerit exercitio, possit eam, si proficiscatur, mandare.*

Non aliter itaque mandare poterit, quam si abesse coeperit, quum alias etiam iurisdictio a praesente mandetur. Et si a familia dominus occisus esse dicetur, cognitionem praetor, quam ex senatusconsulto habet, mandare non poterit. §. 1. *Qui mandatam iurisdictionem suscepit, proprium nihil habet, sed et eius, qui mandavit, iurisdictione utitur. Verius est enim, more maiorum iurisdictionem quidem transferri, sed merum imperium, quod lege datur, non posse transire; quare nemo dicit, animadversionem legatum proconsulis habere mandata iurisdictione.* Et item Tit. XVI. Pomponius (13.): „*Legati proconsulis nihil proprium habent, nisi a proconsule iis mandata fuerit iurisdictio*". Cf. fr. 4. § 6; fr. 5, 6; pr fr. 10, §. 1; fr. 11. 12. 13. 15.

Qui illa in re, quam Sigonius et recte percepit, et bene explicavit, tractanda versantur, breviter admonendi sunt, ut videant diligenter, ne nominum similitudine ducti ea, quae a iurisconsultis tradita, magna ex parte ab eo, qui erat Caesarum aetate, rerum statu petita sunt, ad ea, quae valebant in republica, transferant. Quis est enim, qui nesciat, quantum differant inter se utriusque aetatis proconsules, quantum legati, quantum eorum munera, dignitas, auctoritas?

Relinquitur autem, ut de tertia eorum, quae a praesidibus deferebantur ad legatos, munerum parte exponamus. Ea autem tota in ceteris rebus praeter duas illas, quas supra diximus, administrandis continebatur, quae et ad rem frumentariam, tributariam, vectigalem, et ad publicam disciplinam regendam, vel ad securitatem cum provincialibus, tum civibus romanis praestandam referebantur. Quae omnia cum legibus non comprehenderentur, a propraetoribus per edicta repentina ac peculiaria constituta esse dicebantur. Haec tamen ita erant instituta, ut propraetores ad eam partem munerum, quae pertinerent ad curandam rem pecuniariam sive vectigalem, ut ad portoria vel ostiaria imponenda, ad frumentum aut emendum, aut vendendum, ad varios sumptus faciendos, ad conficiendas rationes et accepti et expensi plerumque, ut usque quaque ex Verrinis apparet, quaestorum auxilio uterentur. — Altera vero munerum provincialium pars, quae praecipue cernebatur in tuenda publica salute atque incolumitate, in moderanda disciplina civitatis, in securitate praestanda, tot tantasque res complexa est, ut ad eas expediendas legatorum potissimum opera et prudentia requireretur. Illarum quidem rerum, in quas conferre omnem curam debebant praesides, quanta fuerit

varietas et magnitudo, perspici optime potest ex Ciceronis epistola ad Q. fratrem data, I, 1, 8, 25, ubi haec leguntur: „*Cuius quidem generis* (eius animi, qui civium sociorumque utilitati serviat) *constare inter omnes video abs te summam adhiberi diligentiam: nullum aes alienum contrahi civitatibus, vetere autem magno et gravi multas abs te esse liberatas; urbes complures dirutas ac paene desertas — per te esse recreatas; nullas esse in oppidis seditiones, nullas discordias; provideri abs te, ut civitates optimatium consiliis administrentur; sublata Mysiae latrocinia; caedes multis locis repressas; pacem tota provincia constitutam; neque solum illa itinerum atque agrorum, sed multo etiam plura et maiora oppidorum et fanorum furta et latrocinia esse depulsa; remotum a fama et a fortunis et ab otio locupletum illam acerbissimam ministram praetorum avaritiae, calumniam; sumptus et tributa civitatum ab omnibus, qui earum civitatum fines incolant, tolerari aequabiliter*". — Ad haec tanta tamque praeclara melius conficienda non incertum est quantum valuerint legati, cum eos, qui provinciis praeessent, quacunque ratione possent, iuvare opera et consilio deberent. — Atque etiam ut in procuranda re viaria propraetores a legatis adiutos esse videamus, hoc Fonteianae praeturae documentum adiungam: „*M. Fonteius cum maioribus reipublicae curis impediretur, et cum ad rem publicam pertineret, viam Domitiam munire, legatis suis negotium dedit*; *itaque praefuerunt, imperaverunt pro dignitate sua quod visum est et probaverunt*". — Quod si praesides in una alterave muneris provincialis parte, ut in re pecuniaria, tributaria, vectigali aliisque eiusmodi rebus, saepius quaestorum, quam legatorum opera uti solebant, tamen inde non efficitur, ad longe pleraque negotia curanda legatos non maximo illis adiumento fuisse.

VII.

Legati quibus conditionibus proquaestorum, propraetorum, proconsulum nomina habuerint?

Jam restat, ut videamus, qui factum sit, ut legati non magna solum necessitate coacti solito plura et maiora munera susciperent, sed etiam solutius ea liberiusque exsequerentur. Hoc autem tum accidere solebat, cum illi vel eorum, qui erant dignitatis gradu superiores, ut quaestorum, vel eorum, qui cum imperio et potestate provinciis erant praefecti, ut propraetorum et proconsulum, personam

debebant sustinere; in qua tuenda illorum magistratuum sive minorum sive maiorum nomina gerebant.

Primum igitur observandum est, eum legatum, qui quaestoris aut gravi aliquo morbo correpti aut repentina morte oppressi munera obiret, legatum pro Quaestore nominatum fuisse. Cuius rei testimonium reperitur in Ciceronis Actione in Verrem secunda c. 4, 11, ubi haec sunt: „*Plurimas urbes, omnia fana depopulatus est* (Verres), *tum cum eum* (Dolabella), *cui legatus et pro Quaestore fuisset, in invidiam suis maleficiis adduxit*". Hoc loco interpretes maxime torsit copula *et*, quam Ursinus iam sublatam voluit, Garatonius tamen Anonymum secutus recte ita defendit: „Verres legatus primum Dolabellae fuit, de qua legatione hic potissimum agitur, et mortuo demum Malleolo, proquaestor: quo tempore, cum legatus esse non desiisset, et vices quaestoris ageret, *legatus pro Quaestore* debuit appellari. Duo haec tempora ita coniunguntur, ut legationi principem locum tribuat, cum in provinciam legatus esset profectus Verres, deinde proquaesturam casu illi additam memoret. Itaque dixit: „*legatus et pro Quaestore*", intelligens „*legatus et legatus* pro Quaestore". Haec scriptura simili loco confirmatur, qui invenitur in Accus. I, c. 15: „*Cui legatus, cui pro quaestore fuerat*". In antiquis vero denariis haec nomina plerumque sine copula reperiuntur.

Cum hic de iis legatis, qui erant pro Praetore, commemoro, non dico eos, quos proconsul eo nomine ornabat, ut haberet, qui ipsius vel praesentis vel aliquamdiu absentis munera administrarent, quod Labienum fecisse superiore parte vidimus. Imo potius ab hoc genere duo alia, quae huc referri oportet, genera distinguenda ac separanda sunt; unum eorum, qui a propraetore decedente relinquebantur, ut, donec adveniret successor, cum imperio provinciae praeessent; alterum eorum, qui a senatu provinciae pacatae, ubi absentis magistratus partes sustinerent, praeponebantur. Illud vero genus, quod prius nominavi, aeque propraetoris nomen, quia ab eo imperium acceperat, in provincia ferebat, atque hoc, quod mittebatur a senatu, ut sine alio praeside cum imperio et potestate praetoria quietis provinciis praeesset. Hoc autem a Cicerone (in orat. de provv. cons. c. 3) aperte hisce verbis declaratur: „*Atque hanc Macedoniam, domitis iam gentibus finitimis, barbariaque compressa, pacatam ipsam per se et quietam, tenui praesidio atque exigua manu, etiam sine imperio per legatos nomine ipso populi Romani tuebamur: quae nunc consulari imperio atque exercitu ita vexata*

est, vix ut se possit diuturna pace recreare". Quo ex loco intelligi potest, legatos, cum nonnunquam nomine populi Romani et senatus auctoritate pacatas provincias pro Praetoribus obtinerent, lictores etiam suos ceteraque ornamenta magistratibus concessa habuisse, imperium militare non item; quippe quod, nisi provincia bello peteretur, necesse non esset.

Sed meliore tamen ac superiore utebantur conditione illi legati, quos pro se proconsules, iam exeunte muneris provincialis tempore, cogebantur cum imperio relinquere, ut, donec adesset proconsul futurus, exercitui praeessent. Eos enim constat non imperium modo militare omnemque potestatem civilem habuisse, verum etiam proconsulum nomine et omnibus dignitatis insignibus ornatos fuisse. Quod quidem ideo factum esse intelligitur, ut legati ipsi, cum proconsul fungi munere suo desiisset, omnibus ad bellum rebus instructi possent et consularem dignitatem tueri, et provinciam ab hostium impetu defendere. Hic notandus videtur ille locus, qui est apud Jo. Laur. Lydum (de Magistrr. Rom. III, 3, pag. 152, ed. Haase.): „— *ἐκ δὲ τῆς ἑτέρας οἱ πραίτωρες ἢ ληγάτοι (ἀντὶ τοῦ στρατηγοὶ καὶ πρεσβευταὶ), οὕς κατελίμπανον οἱ ὕπατοι ἀνθ᾽ ἑαυτῶν, ἤδη τοῦ τῆς ὑπατείας αὐτοῖς συντελομένου χρόνου, εἰς τὸ ἐφιστάναι τῷ στρατῷ ἄχρι τῆς τοῦ μέλλοντος ὑπάτου ἐπὶ τὸν πόλεμον παρουσίας*". — Quae cum ita essent, proconsulem decedentem non raro solebant multae magnaeque curae exagitare, quod ei difficile erat decernere, quem pro se provinciae praeponeret, aliquem de legatis, an quaestorem? Nam cum in provinciis consularibus magnus belli timor magnumque periculum esse soleret, et maximae saepe res agerentur, ratio ipsa videbatur postulare, ut legatus, qui quaestore putaretur bellica laude praestantior, provinciae praeficeretur. At maior dignitatis gradus et consuetudo, maior auctoritas et necessitudo ferebat, ut imperium cum potestate deferretur ad quaestorem. Qua de re Cicero, antequam decederet, mirifice animo sollicitus, cum, molestiaene plus, an periculi sibi afferretur, incertum haberet, hanc cum Attico deliberationem suscepit (epist. 3, lib. VI): „*Ac primum illud, quod me maxime angebat (— res est in manibus, tu autem abes longe gentium): — obrepit dies, ut vides (mihi enim a. d. III. Kal. Sext. de provincia decedendum est) nec succeditur. Quem relinquam, qui provinciae praesit? Ratio quidem et opinio hominum postulat fratrem: primum, quod videtur esse bonus; nemo igitur potior: deinde, quod solum habeo praetorium. Pomtinius enim ex pacto et conventu — iam a me discesserat. Quaestorem nemo*

dignum putat. Etenim est levis, libidinosus, tagax. De fratre autem primum illud est: persuaderi ei non posse arbitror. Odit enim provinciam". Et paucis interpositis: *Magna igitur, ut vides, sollicitudine afficior, magna inopia consilii*". Aliquot locis interiectis: „*Necdum tamen ego Quintum conveneram, ut iam, si id placeret, scirem, possetne ab eo impetrari: nec tamen, si posset, quid vellet, habebam*". Atque ibidem in epist. 4 eadem de re ita pergit dicere: „*Mihi difficilis ratio administrandi, quod paucos dies habebam reliquos annui muneris, illud autem difficillimum: relinquendus erat ex senatusconsulto, qui praeesset. Nihil minus probari poterat, quam quaestor Mescinius Nam de Coelio nihil audiebamus. Rectissimum videbatur fratrem cum imperio relinquere: in quo multa molesta* —". Eandem rem in Epist. 15, lib. II (ad Fam.) ad Coelium data hisce verbis persequitur: „*Ego de provincia decedens quaestorem Coelium praeposui provinciae. Puerum? inquies. At quaestorem; at nobilem adolescentem; at omnium fere exemplo. Neque erat superiore honore usus, quem praeficerem. Pomtinius multo ante decesserat. A Quinto fratre impetrari non poterat; quem tamen si reliquissem, dicerent iniqui, non me plane post annum, ut senatus voluisset, de provincia decessisse, quoniam alterum me reliquissem*". — *Denique nunc sollicitus non sum; si fratrem reliquissem, omnia timerem* (ab inimicis, qui Romae erant)". — Hisce locis satis apertum est, Ciceronis animus quantis sit curis ac sollicitudinibus vexatus, cum anceps haesitaret nec haberet, quid faciendum decerneret. Nec vero minus perspicuum est, proconsulem de provincia decedentem, praesertim si non videretur grave aliquod bellum posse vitari, maluisse legatum aliquem, rei militaris peritum, ut cum imperio et potestate ipsius partes ageret, quam quaestorem, relinquere. Quod quominus fieret, prohibebat mos et consuetudo maiorum, quae ferebat, ut quaestor, qui honore uteretur superiore, pro Consule provinciae praeficeretur. At enim proconsul mederi huic incommodo tum facile poterat, si in legatis eos habebat, qui, quod iam praeturam gesserant, vel propraetores provinciam aliquam administraverant, quaestorem dignitatis gradu superarent. Ex quo legatorum genere cum essent Pomptinius et Quintus Cicero, quorum ille antea iam praetor triumphaverat de Allobrogibus, hic ipse praetorius erat Asiamque per triennium rexerat, Cicero nihil se vehementius cupere significavit, quam ut alteruter vicarius proconsulis partes susciperet. Quod ut vidit a fratre

se non posse impetrare, nihil aliud sibi relinqui arbitratus est, nisi ut Coelium ex duobus quaestoribus meliorem deligeret.

Quae autem hac extrema parte disputavi, ea possunt ad hanc iudicii summam referri: legatos quaestorum, qui essent gravi aliquo morbo impliciti vel subita morte oppressi, munera suscepisse et legatos pro Quaestoribus nominatos fuisse; eosdem vero ab iis proconsulibus, qui a provincia abessent, exercitui totique provinciae praefectos, vel a senatu in provinciam aliquam regendam missos, vel a propraetoribus in provincia relictos, non solum imperii dignitatisque insignibus usos, sed etiam legatos pro Praetoribus vocatos esse. Qua in re illud maxime commemorandum est, eos legatos solos, qui a proconsulibus, qui decederent, provinciis praeponerentur, solitos esse, dum successor adveniret, cum imperio et potestate provinciae praeesse et proconsulum nomine appellari.

B. De legationibus liberis quaeritur.

I.

Liberae legationis universum genus quomodo ortum et quale fuerit?

Hoc genus legatiouis quantum ab illo, de quo superiore parte expositum est, discrepet, vix attinet dicere. Nam hoc quidem manifestum est, ut illos legatos a senatu delectos et in provincias missos reipublicae commodis, ita eos, qui liberam legationem haberent, nullis, nisi suis rebus inservisse; ut illos reipublicae dignitati, ita hos suo honori atque utilitati consuluisse, neque alia, nisi sua negotia perfecisse. Cuius rei exemplum aliis imitandum ex magistratibus primus videtur proposuisse L. Postumius consul, qui (Liv. 42, c. 1.) mira sua arrogantia atque insolentia magno oneri et sumptui fuit Praenestinis. Quo factum est, ut magistratus, ne quid grave imperarent sociis, mulis tabernaculisque et alio omni instrumento militari ornarentur a senatu, legatis autem, qui repente

aliquo mitterentur, singula iumenta per oppida, qua iter faciendum esset, darentur. Sed Romanorum magistratus, cum eo iure, quod adepti erant Praenestini, graviora in dies facta esse imperia quererentur, idque in primis agerent, ut plura sibi maioraque sumerent, petebant a senatu aut a populo, ut ab exteris nationibus, si ad eas abirent ad privata negotia obeunda, itinerum sumptus suppeditarentur, ipsi vero maioribus quibusdam augerentur commodis. Qui ex iis bene de re-publica meriti multum auctoritate valebant, quod petebant a senatu, facile impetrabant. At magis in dies crescebat malum. Nam qui antea iam magistratus gesserant ipsique potissimum senatores illorum vestigia sequebantur, non satis habebant, res et ad victum quotidianum et ad iter faciendum necessarias sibi suppeditari vel a sociis vel a provincialibus. Atque adeo illi postulabant, ut duo sibi lictores cum fascibus concederentur, quo maiore auctoritate ac securitate in exteris terris privatas res suas melius persequerentur. Quod quoniam illi non definito tempore faciebant, neque solum quae conferre debebant homines exteri, magis magisque solebant multiplicari, verum etiam numerus eorum, qui liberam aliquam legationem partim petebant, partim acceperant, in dies maxime augebatur: socii, onere paene oppressi gravissimo, nihil prius habebant, quam ut senatus fidem implorarent. Quare cum multi insolenter abuterentur istiusmodi legationum iure ac nomine, Cicero consul, ut huic malo occurreret, retulit ad senatum de tollendis legationibus liberis senatusconsulto. In quo cum, tribuno plebis aliquo (sive Metellus Nepos fuit, sive Bestia) intercedente, totam rem tollere non posset, quod ante infinitum fuerat tempus, annuum fecit. (de Legg. III, 8, 18). Sed ne ita quidem satisfactum est causae optimatum, qui nimium de iure suo detrahi, vel etiam magnam sibi iniuriam afferri putarent. Quapropter J. Caesar, qui senatorum animos, ne eos vehementer a se abalienaret, neque laedere, neque illorum aut levitate, aut avaritia spoliari ac diripi sociorum terras volebat, medium quiddam tenendum putavit tulitque legem, ut liberae legationes quinquennii definitum tempus haberent. Quam legem libenter comprobat Cicero (epist. ad Att. 11, lib. XV), cui eorum, qui omnia ad quaestum et ad libidinem referrent, intemperantia videbatur posse eiusdem legis beneficio aliquantum coërceri.

Ernestio (Clav. Cic. in Indic. Legg. sub leg. Jul.) de legationibus quidem liberis necesse non videtur statuere, peculiari lege sancitum esse; nam potuisse legis de provinciis latae caput esse de legationibus liberis, quod eaedem in primis

ad provincialium iniuriam pertinerent. Idem fere, quod Ernestius, iudicium de lege Julia facit *Bachius* (Histor. Jurisp. rom. lib. II, c. II, XCI, pag. 194.), cuius haec verba sunt: „Lex Julia de liberis legationibus non tam peculiaris lex fuisse videtur, quam potius caput eius legis, qua sanxit, „*ne quis civis maior annis viginti, minorve quadraginta, qui sacramento non teneretur, plus triennio continuo, Italia abesset: neu quis senatoris filius, nisi contubernalis aut comes magistratus, peregre proficisceretur*". — At quidquid de illa lege statuitur, hoc in dubium non potest venire, quin, ut Ciceronis epistt. ad Att. XV, 11, ad Fam. V, 10 et 21 significatur, legationis quinquennale certe tempus definitum et sumptus deminutus fuerit. — Tota autem illa causa, quanta tum fuerit morum depravatio, quamque perturbatus reipublicae status, non leve indicium ostenditur et argumentum. Quamobrem ego non incommodum arbitror, sicut infinite de universo genere disputavi, sic definite ac separatim de singulis rebus, quae in illis legationibus spectandae sunt, amplius quaerere.

II.
Singulari ac propria parte exponitur,

1) quare illae legationes nominatae sint liberae et 2) quae legatis praebere debuerint provinciales.

In utroque genere explicando rerum antiquarum investigatores et interpretes infra videbimus, quantos in errores prolapsi sint. Namque alii, velut *Ernestius* (Clav. Cic. in indic. sub leg. Jul.), legationes hanc ipsam ob causam liberas esse dictas volunt, quod exire et redire liceret, cum placeret; alii, ut *Turnebus* (Commentar. ad Cic. de legg. I, 3, pag. 537.), liberam legationem appellatam esse dicunt, quod libere, in quam vellent provinciam, in quam vellent urbem, proficiscerentur, ubi etiam, quantum vellent, libere manerent; alii, ut *Abramius* (ad Cic. orat. de provv. consul. c. 17.), docent, liberam fuisse legationem, cuius tempus fuisset infinitum, et in qua senatores, quamdiu commodum esset, manere potuissent. Atque alii alia, eaque magna ex parte inepta, nec memoratu digna

